in vinea sua et venit querens fructum in illa et non invenit. Quid arbor fici nisi humanam naturam signat? quid mulier inclinata nisi eandem naturam significat? Que et bene plantata est sicut ficus et bene creata sicut mulier, sed in culpam propria sponte lapsa neque fructum servavit operationis neque statum rectitudinis. Ad peccatum quippe ex voluntate corruens quia fructum obediencie ferre noluit statum rectitudinis amisit. Que ad dei similitudinem condita dum in sua dignitate non perstitit quod plantata vel creata fuerat servare contempsit. Tercio dominus vinee ad ficulneam venit quia naturam generis humani ante legem sub lege sub gratia exspectando ammonendo visitando requisivit. Dixit ad cultorem vinee: Ecce anni tres sunt ex quo venio fructum querens in ficulnea hac et non invenio. Venit ante legem quia per naturalem intellectum innuit et quia per naturalem intellectum quod unusquisque exemplo sui equaliter erga proximum agere debuisset innotuit. Venit in lege quia precipiendo docuit. Venit post legem per gratiam quia pietatis sue presenciam exhibendo monstravit. Sed tamen in tribus annis fructum se non invenisse conqueritur quia quorundam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit nec precepta erudiunt nec incarnationis eius miracula convertunt. Quid vero per cultorem ficulnee nisi prepositorum ordo exprimitur? qui dum presunt ecclesie hii nimirum curam domini vinee gerunt. Huius enim vinee primus cultor Petrus apostolus exstitit. Quem nos indigni sequimur in quantum per conditionem in docendo predicando increpando laboramus. Sed cum magno est timore audiendum

quod cultori vinee de infructuosa arbore dicitur: Succide ergo illam, ut quid etiam terram occupat? Unusquisque iuxta modum suum in quantum vite locum presentis tenet si fructum bone operationis non exhibet velud infructuosa arbor terram occupat quia in eo loco in quo ipse est et aliis operandi occasionem negat. Sed in hoc seculo potens quilibet si fructum non habet bone operationis etiam impedimentum prestat quia quicunque sub ipso sunt exemplo pravitatis illius quasi umbra perversitatis illius premuntur. Stat desuper arbor infructuosa et subter terra sterilis iacet. Infructuose arboris desuper umbra densatur et solis radius ad terram descendere nequaquam permittitur quia dum subiecti quilibet perversi patroni exempla conspiciunt, ipsi quoque infructuosi remanentes veritatis lumine privantur et pressi umbra calore solis non accipiunt quia inde remanent a deo frigidi unde in hoc seculo male proteguntur. Sed de hoc perverso quolibet potente pene iam requirendo deo non est. Postquam enim se perdidit querendum est cur et alios premat. Unde et bene eiusdem vinee cultor dicit: Ut quid etiam terram occupat? Terram quippe occupat qui mentes alienas gravat. Terram occupat qui locum quem tenet in operibus bonis non exercet. Sed tamen nimium est pro talibus et Petri clamare.

Cultor vinee quid dicat audiamus: Domine dimitte illam et hoc anno usque dum fodiam circa illam. Quid est circa illam fodere nisi infructuosas mentes increpare? Omnis quippe fossa in ymo est. Et nimirum increpatio dum mentem sibi demonstrat humiliat. Quociens ergo de peccato suo aliquem corripimus quasi ex cultura debita circa infructuosam arborem fodimus. Post fossionem vero quid dicat audiamus: Et mittam cophinum stercoris. Quid est cophinus stercoris nisi memoria peccatorum? Peccata etenim carnis stercora vocantur.